

suum metra consideranti probabilius videbitur hunc quoque non ex dactylo, sed ex cretico et dochmio fuisse compositum. Fortasse igitur *κρυπτόμενον ἐς λέχος ἠννάσθην* scribendum.

V. 1489—1491. Recte hos versus et distinctos et scriptos exhibuit Aldus, nisi quod *τάδε*, | *ἐνήψα* edidit. Id quomodo accommodate ad metrum corrigi oporteat Parisini codicis scriptura *ἀνήψα* ostendit. Scribendum enim *τάδ' ἀνήψα*.

HELENÆ

Versus 86. *ἀτὰρ τίς εἶ, πόθεν, τίνος, ἐξαυδᾶν σε χρὴ* et Ionis v. 1471. *πῶς εἶπας; ἄλλοθεν γέγονας γὰρ ἄλλοθεν* difficiles sunt emendatu. In utroque fortasse alia est vitii sedes quam vulgo putatur. In altero γὰρ omittit codex Vaticanus Palatinus 287.

V. 124. *οὔκουν ἐν Ἄργει οὐδ' ἐπ' Εὐρώτα ῥοαῖς*] *Ἄργει γ'* Musgravius. Eundem hiatus codices præbent in Equitibus Aristophanis v. 465.

οὔκουν μ' ἐν Ἄργει οἶα πράττει λανθάνει.

V. 177. Delevi quod in fine hujus versus additum legebatur *παιᾶνας*, quo scholiasta aliquis *χάριτας* est interpretatus: ut non mirandum sit nihil in versu antistropho esse quod huic vocabulo respondeat.

V. 312. *ΕΛ. καὶ τᾶμπαλίν γε τῶνδ' ἀληθείας σαφῆ]* Hoc est δι' ἀληθείας, præpositione ex præcedentibus chori verbis repetenda, *πόλλ' ἂν γένοιτο καὶ διὰ ψευδῶν ἔπη*. Locum sanissimum conjecturis certatim vexarunt critici. Quod etiam versui 334. accidit *θέλουσαν οὐ μόλις καλείς*, ubi *οὐ μόλις* similiter dictum est atque in versibus Æschyleis Agamemnonis 1082. et Eumenidum 864.

V. 505. *δόμων ἀνακτα προσμενῶ· ἔχει δέ μοι]* *προσμενῶ γ'* Barnesius.

ANDROMACHÆ

V. 464. Legebatur *οὐδέποτε' ἂν δίδυμα λέκτρ' ἐπαιέσω βροτῶν*. Quæ orationem solæcam reddit *ἂν* particula, recte abest ab libris scriptis *οὐδέποτε* præbentibus. Non hunc versum, sed antistrophicum mutare debebat Aldus

οὐδὲ γὰρ ἐν πόλεσι δίπτυχοι τυραννίδες,